hic mihi onus et mens fuisset, non
tam graviter forte aspis hallucinatus essem.
Esto, sint rudes sint agrestes, id illis ex,,
solet industria ac virtus quae ad oia ardua
enititur. In Parodia nostra Mörschwilensi
huius artis peritissimus est vir quidam ple,,
beius et ignobilis, si ipsum inspexeris, certè
nec eum dixeris Politicum, nec Rhetorem, nec
Astyanacta. quod huic et alijs licuit, an solis
nostris Mendicis non licet? Sed sint rustice in,,
habiles, sint inepti. Non est necesse, ut scutulatos
aut undulatos, vel polymitos, aut argento vel
auro virgatos, aliisque formarum varietate
luxuriantes telas sciant texere, satis est quin
potius, si possint radij Minervae texere, si sciant
telas lineas, quae hic in magno pretio habentur,
et subtiles plagarum conficere texturas. Si ergo
Nequeunt imitari Minervam, imitentur Arachnen.
Haec ob singularem lanificij peritiam ausa est illam
provocare in arenam, sed proh dolor ab ea victa,
mutata est in Araneam. Hanc Metamorphosin
in Mendicis nostris nullus timeat, neque enim adeo
in hoc artificij genere excellunt, ut vel cristas
erigere, vel neminem nedum Deam ad certamen
provocare praesumant. Verum etsi non sit cur
quis ~~ipsis~~ illis timeat, est tamen cur quis ipsis cupiat
velit et exoptet. Si equidem studiosae Aranearum
naturam induerent, et infelici egestatis iniuria
haud dubie exuere viderentur. Rex Salomon